





BOSTON MEDICAL LIBRARY
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

<http://www.archive.org/details/petricamperepist00camp>







P E T R I C A M P E R

E P I S T O L A

A D

ANATOMICORUM PRINCIPEM

M A G N U M


A L B I N U M.



G R O N I N G E,

Apud H E N R I C U M C R E B A S , Bibliopolam.

M D C C L X V I I .



ANATOMICORUM PRINCIPI

M A G N O

A L B I N O

S. P. D.

P E T R U S C A M P E R.

Videbatur epistola tua ad me 17 Dec. 1762. scripta (a) requirere, ut, quamobrem tabulis tuis egregiis, Eustachia- nisque punctum opticum tribuerim, exponerem plenius: id enim non modo a vero penitus alienum esse, tum in Epistola, tuin in praefatione Libri de sceleto humano, tibi adseverare placuit, sed et nuper in sexto annotationum Academicarum librō. Videbar etiam mihi id debere, ut famae consulerem, ne mendacium (b)

A

me

(a) Vide litteras et responsum, ad calcem hujus Epist.

(b) Onwaarheid Belgice id, quod non est verum, seu, mendacium, significat, vide litt. Albini.

me scripsisse , quemadmodum meam in tuas et Eustachii tabulas animadversionem vocas , posteri , et , me silente , Lectores tui crederent . Invitus , tuaque veluti ex provocatione , ad depulsionem meam accedo , cuius is potissimum erit scopus , ut evidenter ex tabulis tuis demonstrem Te punctum opticum , quemadmodum oportebat , adhibuisse , ac Tibi ipsi , tum in Historia operis tui , tum in Epistola ad me missa , adserere placuit . Alter erit , ut perspicue exponam , Punctum opticum in Eustachianis Tabulis adhibitum , erroresque inde natos fuisset , quos in Tabulis Tuis evitare facile non poteras , et quos in Eustachianis non animadvertisse mihi videris . Addam tertio , vulgarem et usitatam delineandi methodum multis in rebus praestantiores esse Tua , et ea , quam Eustachius usurpavit . Tandem ea , quae circa Ani musculum , et curationem calculosorum Ravii in Lib. Annot. Acad. vi. adnotasti , examinabo .

Paucissimi erunt Vir Clarissime ! qui litium nostrarum caussam clare perspicient , rarissime enim contingit , ut in Anatome exercitatisim etiam in pingendi , delineandique arte adeo consummati sint , qui exquisitissimam subtilitatem , de qua inter nos certatur , intelligent .

Conqueri videris , quod Te vivo , hanc meam in Tuas Aliorum . que tabulas animadversionem publice ediderim : in eo nihil , in quo Te offenderem , exquisivi , et si exquisivissem , laudem consequi potius debuisset , si quidem post mortem Tuam injuria fuisset . Quid nisi silentio potius practerierim Eustachianas et egregias tuas tabulas , roganti respondeo , me delineandi methodum , quam amplexus eram , explicare voluisse evidentius , quoniam nullum punctum adhibens Architectorum delineandi modum fecutus fueram .

Peraegre etiam tulisse videris , quod scripserim in universum , des-
ctus

ctus notabiles, qui necessario ex opticis regulis, seu Perspectivâ fluunt, non modo non evitari, sed vix aliam delineandi methodum adhiberi posse ab iis, qui a Pictoribus dependent. Haec sane in universum, non peculiari intentione scripsi, et si, quod tamen non feci, factum fuisset, exemplis non carerem, quibus id in Tabulis Tuis probarem. Absit autem, Magne Vir! ut contra meam sententiam, egregia et admirabilia Tua opera Anatomica me contaminare velle, credas: Obtestor meos quandam Franequeranos Auditores, omnes Amstelaedamensés, Groninganos denique, quoties summa cum veneratione nomen Tuum, in Publicis, privatisque Scholis celebraverim? Quoties Te alias industria, sollertia, et inenarrabili cura supergressum fuisse dixerim? Confiteor quoque, hac data occa sione, confiteborque semper, me ex Tua docendi et scribendi paeclarissima methodo didicisse, quid in Iconibus requiratur, ut perspicuae sint, et verae. Multum etiam temporis, cuius tamen me nunquam poenitebit, consumpsi, ut artem, quam in Tabulis Tuis adhibuisti, probe intelligerem; multum quoque in Eustachii consummatis iconibus, quarum virtutes Tu solus perspexisse mihi videris. Haec non blandiendi caussa animadverto, sed publice testandi, quantum in primis Tibi debeam, quantum omnes, qui Corporis nostri structuram accurate cognoscere student.

§. I. Verum, ne obiter me Tuas inspexisse Tabulas videar, pri-
mum monstrabo, Te non Architectorum more icones exhibuisse, sed
Pictorum.

Architecti, quod ex egregiis Scammozzi, Vignolae, Felibienii,
Woodii, Le Royi, aliorumque Tabulis constat, Ichnographiam exhi-
bent primum, dein integrum aedificii, vel columnae elevationem a la-

tere, seu Orthographiam. Id est ita, ac si quis a summis partibus ordiretur, et, descendendo ad fundamentorum lineas ultimas usque, oculum semper ad angulum rectum adhiberet. Id Architecti omnes, etiam qui munimenta et circumvallationes figuris expresserunt, exsecuti sunt; excipere vero immortalem Frisiae Heroem, Coehornium possumus, qui praeter Ichnographiam, et Orthographiam, non raro Scenographiam adhibuit. In Architectura igitur nullum punctum Opticum, seu Visus, vel Principale, ut loqui amant Pictores, nulla distantiae diversitas in auxilium vocantur.

His expositis in memoriam redige quaeso, quae in Historia Operis Tui leguntur, pag. 3. Col. I. quod Dioptram adhibueris, seu Quadrangulum, in spatiola quadrata divisum, magnum alterum, alterum minus, ita dispositum, ut centrum contra medium sinistram partis pectoris sceleti esset constitutum, Pictor semper per foramen certum determinatumque, quadratorum decussantia puncta intuebatur, et notabat. &c:

Nonne Te optice usum fuisse inde luce meridiana clarius patet? illud foramen certum, determinatumque, quid aliud, quam punctum visus, seu adspectus indicat?

Non me fugit, methodum eam Anatomicis plurimis quidem incognitam, pictoribus autem notissimam esse, et a praecipuis describi (a); elegantissime vero ab Anonymo auctore e Societate Jesu, (b) in pri-

ma

(a) Ab Alberto Durero in Geometr. pag. 182. 183. Ao. 1532. dioptra portatilis cum foramine optico mobili accurate proponitur. Etiam à Celebri Da Vinci, qui eodem tempore floruit. Traité de la peinture p. 24. Chap. 32.

(b) La Perspective Pratique. Paris. 1663. prima vice impressus fuit hic egregius liber. Ao. 1640.

ma Perspectivae parte pag. 119. et adjecta Tabula , *Pratique xciv.* Exponuntur in ea , quadrangula, Dioptra integra , et adhibendi modus adeo clare , ut nihil penitus desideretur. Celebris etiam C. Wollfius (a) integrum Machinam , in *Perspectivae* Tab. I. Fig. 2. delineat , et utendi modum Problem. I. pag. 79. nec non Probl. xxiv. pag. ib. 93.

Diffrerit autem Tua methodus , quatenus non unum quadrangulum , sed bina adhibueris , ne ad 40 pedum distantiam collocaretur Pictor : ea ratione quidem regulariter minuere potuisti objectum , nulla ratione autem evitare loci veri et relativi defectum , natum ex positione objecti supra vel infra horizontem , seu Dioptræ , propriè dicendæ , altitudinem.

Unde manifeste patet , ad concinnandas tuas Tabulas tale punctum , sive opticum , sive visus , sive adspectus voces , fuisse adhibitum ; id totidem sere verbis in Historia operis , et littera Tua ad me scripta exponis , nullum igitur dubium supereesse potest. Verum etiamsi non indicasses , ex Tabulis tuis , ubi integrae imagines sunt , divinari et ostendi facile potuisset : parerga enim illud punctum demonstrant ; *Mendacium igitur non est , quod protuli , cum id ipsum non modo conscribere , sed evidentissime indicare Tibi placuit.*

Antequam Historiam tui operis , utpote Ao. 1747. editam , legere potui , jam ex ipsis tabulis , Annis 1739. 1740. et 1741. impresis , puncti optici , quod adhibueras , sicutum detexi , ducendo parergorum linæas parallelas , ex opticis régulis in unum punctum convergentes ad se mutuo ita , ut decussationum puncta invenirem : hac ratione horizontis altitudinem determinavi , praesertim in Tab. Muscul. ix. et vi. et

puncti optici situm, quemadmodum adnotasti, contra medium sinistram partis pectoris sceleti, a parte anteriore delineati, vel dextrae a parte postica. Idem in Tab. Muscul. II. quamquam lineae aedificii adjecti non exakte in unum punctum convenient. In Sceleti Tab. II.iforme parergum, neque horizontem, neque punctum opticum manifeste exhibit: in aliis non nocet, quia irregularia objecta apposita sunt.

Parerga omnia id vitii in universum habere videntur, quod punctum distantiae, (ita vocant optices seu Perspectivae periti spectatoris distantiam a Plano tabulae, super quam Icon representatur) non coincidat cum illa imaginis viri, a Te ex distantia 40 pedum delineati. Oritur inde, nescio quae confusio, qua me expedire non potui, donec rationem ex Historia Operis Tui percepi. Leaenae figura Tab. Musc. IV. et VIII. ideo non pone, sed ante hominis imaginem picta apparet, quamquam propter umbrarum dispositionem, et partes ab imagine occultatas, pone imaginem hominis haec monstra collocata videantur.

Eam confusionem non Tuo, sed Caelatoris adscripti consilio, quod etiam manifester indicas in Hist. Oper. pag. 6. col. 1. „Artificem parerga adjecisse non solum, ut occurreretur inanitati spacioseis „amplitudinis Tabularum, sed et ut *adspexitus blandior* esset, et figure rae melius e tabulis eminerent. Primum sane collatum fuit egredie; plus justo enim parergis exornatae sunt Tabulae: ultimum admodum male, ut supra dixi. Qua ratione vero sceleti figura, et hominis pelle et musculis diversis detractis, naso auribus aliquique partibus abscissis, aspectum habeat blandum, haud clare video? Multopere sane erravit *Wandelaarius*, si unquam sibi obtrudere potuit,

hor-

horribilem imaginis Tab. III. adspectum blandiorem reddi potuisse, adiecta montis ignivomi figura, vel Rahinocerotum, quae animalia sua natura informia, haud prospere ab artifice expressa sunt.

Parerga illa denique causa sunt, cur umbrae duriores factae musculos, praecipue minores, obscurent penitus. Monogrammata e contra, propter omissa ea omnia deterioris gustus parerga, pulchriora videntur.

Repraesentationes talium Objectorum absque umbris in terram projectis, absque parergis exhiberi debent, ita *Eustachius* tabula suas clariores reddidit, ita etiam Tu Offium icones, excipio eas pedum, siquidem Tab. XXXIII. in Appendice, Umbra projecta, neglecto lumine reflexo, pedis superficiem terminatricem confusam efficit. Imitari etiam potuisset Caelator, quod in Elegantissimo Opere Anatomico, in usum Pictorum et Statuariorum a Cl. BERNARDINO GENGA (a) edito, Peritorum omnium admirationem meretur. In Tabulis iis imagines solae exhibentur, neque obstat spatiofa amplitudo, e contra aliquid grave in figuris detegitur, quod quidem in Tabulis tuis linearibus elucet, sed in reliquis desideratur. Enitet in laudato opere, admirabili elegantia praesertim Herculis Imago Tab. xxv. Laocontis Tab. XXXII. et Gladiatoris Tab. XXXI.

Ex iis omnibus igitur perspicuum est, Illustrissime Vir! etiam *ex tua suffragio Pictorum more delineatas fuisse elegantes, quas edidisti, imagines*, neque aliter potuisse fieri in responsione mea ad tuam Epistolam adnotavi.

Miror autem quam maxime, Te Architectorum methodi nullam in Operibus tuis fecisse mentionem, et tantum Dioptræ, quae ad pictores per-

(a) Anatomia per uso et intelligenza di disegno, praeparata sù i cadaveri, dal Dottor B. Genga, Regio Anatomico, con le spiegazioni et indice del Sigr. C. G. M. Lancisi, Aº. 1691.

pertinet, nisi postquam me ita delineasse monuerim: in His. operis quidem mones „ Te fecisse ut Architecti, qui, jactis fundamentis certis, superstruunt eis aedificium cum omnibus suis partibus, sic te feceris, leto, ut fundamento, appendisse musculos etc.: quod longe aliud quid indicat, quam Architectorum more delineare.

Quantum distet Tua methodus ab Architectorum, evidentius ex incomparabilis Alberti Dureri Tabulis circa proportiones hominum colligi potest, praesertim ex Lib. iv. Ubi figurae; statuariis praeparatis inservitiae, Architectorum methodum manifeste exponunt.

Quod ad reliquas icones attinet, quas egregio tuo circa ossa foetuum libro adjecisti, hae, ute pote parvae, et ad quarum objecta axis opticus ad normam dirigi poterat, non indigebant tanta cura. Haud dubito, quin multum temporis in ordinandis majoribus figuris consumperis: inficias etiam non eo, quin mensuratae fuerint minores, quantum potuit fieri: verum Architectorum modo neutiquam, quemadmodum in multis conspicuum est.

Ne tamen me id festinanter adsevera se putas, obsecro, ut iterum examines officiorum auditus omnes figuram, tam in Muscul. Tab. xi. quam in Annotationibus Academicis; multum fallor, nisi haec omnia Tibi latiora, quam revera sint; delineata videantur? etiam os hyoides etc.: ratio est, quod pictores objecta, quae minora sunt distantia centrorum pupillarum oculorum, ultra diametrum conspiciunt, et semper latoria, quam sint, representant: qui error etiam circa objecta majora vix evitari potest, ubi duobus oculis ea prope intuemur. In Tab. ossium Hum. I. hi defectus conspicui sunt, praesertim fig. I. in qua foramina optica Q. Q. latiora sunt, quam in fig. II. Tab. III. v, v, vel Tab. V. fig. VII. O. O. Etiam latitudo inter ossa plana O. O. major, quam

quam Tab. V. fig. III. et IV. Maxilla inferior similiter latior ab anteriore parte repraesentata est , quam in Tab. II. fig. III. ubi ab inferiore conspicitur.

Paris quarti foramina denique Tab. V. fig. VII. Q. Q. eadem de caussa magis distant à se invicem , quam Tab. III. fig. II. VV. ubi directe inspiciuntur.

Scripsi in mea praefatione , defectus inde natos praecaveri non posse , praeferunt non ab iis , qui a Pictoribus suis penitus dependent . In responsione declaras aperte , *Wandelaarium* semper tuo usum fuisse consilio : et in praefat : Libri de sceleto Humano , *artificem a Te didicisse circino et regula uti* : de ea re nullus dubito , neque etiam quaestio movetur : sed hac de re agitur , utrum ex Tua , licet prudentissima , methodo , errores quidam ex Optices natura necessario profluentes irrepserint , nec ne ? Respondes in citata praefatione , *operæ pretium non esse Geometricam accurationem consequi , quia momentum in his non habent* : Ita ne judicas ? cur igitur in Historia operis tam enixa curâ , et tam cumulate narras , et describis Chartae madidae extensionem sub praelo ? cur modum delineandi seu transferendi figuræ super tabulam aeneam ? Lectoris sane parum intererat , utrum Wandelaarius creta illiniendo picturae dorsum id efficiebat , an alio modo ? a caelatoribus enim in primis hodie , etiam eo tempore , facilior methodus usurpabatur . Tantam in describendo delineandi modo adhibes prudentiam , ac si de medicinae salute ageretur ; et molestum Tibi est , ubi de situ vero , de figura partis cuiusdam agatur , quod alius non errorem , sed defectum ab arte Apellea pendentem , indicat ?

Contuli saepe sceletos , quos suis ligamentis nexos summa , qua potui , industria paraveram , atque in situ naturalissimo collocaveram , cum Tuis

Iconibus: conatus etiam sum, ut utilior meis essent Auditoribus, situm, quem sceleto dedisti, imitari, verum desii, quia nulla theca eum ita compositum commode excipere potuisset. Paravi virilem perfectissimum Europaeum, et Afrum, servo etiam femininum sceletum, et infantum varios, naturalibus vinculis unitos, membris tamen ita compositos, ut excepto brachio cum tuo fere convenient. Ita eos conspexi, ut axis opticus ad normam incideret in unum quodque punctum examinandum, observavi semper par foraminum opticorum in Tabulis tuis nimis depresso, claviculas nimis rectas, scapulas nimis humiles etc. etc. etc. Quos omnes defectus, licet magni momenti esse nequeant in Medicina et Chirurgiâ, inde ortos putavi, et adhucdum arbitror, quod partes illae supra horizontem, seu Dioptræ Tuae centrum, fuerint positæ.

Ubi vero attente considerabam pelvis amplitudinem et iconismum, tum ibi correctos errores, ex perspectiva natos, praecipuos, non tamen omnes sublevatos observavi: os coccygis enim descendit in Tab. I. sceleti sub commissuram ossium Pubis, quod neutiquam facit, si Architectorum more pelvem contemplamur.

Credibile etiam mihi videbatur, pedum icones correctas suisse, postquam Dioptrâ primae imaginis monogramma factum fuerat. Offendit vero Tab. IX. parergon valde, quia deformis ille Stylobata, seu ejus basis tam clare scenographiam commonstrat.

Verum pudet me plures detegere artis defectus, invitus etiam, et ad caussam meam dicendam compulsus, luci eos expono; Et si omnes aperirem, tam parum, Vir Celeberrime! hi tuam obscurarent gloriam, quam solis corruscantis fulgorem, aliquot maculae?

Non Te errasse dixi, non negligentiae accusavi, sed artem pictori-
am,

am , pictoresque : admirabor semper excellentiam , perfectionemque Tabularum tuarum ; sine vana praedicatione forsan adfirmare possum , me magis ceteris de earum laudibus judicare posse. Tantam etiam gloriam in iis tulisse mihi videris , ut Tabulis Tuis , Zeuxis versum subscribi summo jure posse existimem : scilicet .

Invisurum aliquem facilius , quam imitaturum .

§. II. Ad alteram partem demonstrandam accedo , Eustachium juxta optices regulas suas depinxisse , vel exhibuisse imagines integras , et alias passim , cuius nihil in ejus tabulis , quod scias , reperiri , in Epistola tua notas .

Examinabo singulas. In Quatuor prioribus Eustachius propter parvitatem Optices regulas neglexit , etiam orificia vasorum supra et infra repraesentavit : in iis etiam nullius momenti erat vel architectorum , vel pictorum , ultima cura. Ejus naturae etiam sunt Tab. V. VI. VII. et VIII.

In Tab. IX. optice manifeste observata est , Cerebri superficies enim summa , utpote super horizontem , occultatur , dorsum pedis integrum , quia infra eam est , conspicitur : horizon proculdubio in medio imaginis.

Tab. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XXVII. XLVI. XLVII. non indigebant ea arte : videtur axin opticum , in omnibus iconibus , seu punctum visus , ad uniuscujusque medietatem direxit , et quidem ad normam.

In Tab. XVII. figuram primam oblique intuitus est , etiam figuram secundam ; secus enim cerebellum tam alte adscendens non depin-

xisset. In catagrapho capitis, quod brevi, si tempus favet, editurus sum, haec differentia magis erit conspicua.

Figura secunda Tab. XVIII. egregie, quod adnotaveram, comprobat; etiam fig. 1. 3. 4. et 5. quae ex secunda depromptae paululum auctae repraesentantur. Si quis animum attendat ad spinae figuram et lamellarum cartilaginearum circulos adscendentes, atque ad cerebri basin, percipiet subito, punctum opticum, seu principale, ad supremas thoracis vertebraes esse directum: Basis cerebri ideo abbreviata est, et quidem multopere; Pons Varolii etiam, seu eminentia annularis praeter naturam curta: distanria inter eam et corpora candicantia nimis parva. Et quod multo magis in oculos incurrit, Nervorum origines idcirco non accurate in conspectum veniunt. Quae omnia, pace tua dixerim, Vir Celeberrime! summam tuam effugerunt industriam: nam in Editione prima, p. 66. et altera p. 103. S. S. nec non p. 99. f. *Tertium par nervorum cerebri juxta priorem partem eminentiae annularis oriens*, scribis. Quamquam manifestum sit, ex interioribus partibus crurum medullae cerebri oblongatae oriri: quae crura in Eustachii Tabula, propter perspectivae regulas nimis stricte observatas, absolute in conspectum venire non potuerunt.

Similem errorem ex optice oriundum non animadvertisisti circa originem Nervi quinti paris, quam e latere eminentiae annularis deducis, quum e parte veluti media cruris medullae obligatae cerebelli oriatur, quemadmodum in Tertio Dem. Anat. Pathol. Libro fusius exponam.

Septimi paris portionem duram e priori parte lateris externi corporis olivarum pag. 104. *aaaaa*. deducis, et mollem a lateribus corporum olivarum *bb*. quum distincte ex inferiore parte eminentiae annularis orientur, seu a postica parte crurum cerebelli, a latere ventriculi quarti.

Ad-

Addidi aliquot figuræ, ut demonstratio mea omnibus clara esset, et evidentissima.

In Prima figura, characteres I, C. A. F. G. K. N. catagraphum exhibent, quod super caput sceleti, juxta medietatem sectum, hominis adul-
ti, eleganter conformati feci, ut forma et decursus basis cerebri atque
medullæ oblongatae imitari possem exactius. A. posterior est processus
clinoideus. ABC. sella turcica, BCDE. sinus ossis sphenoïdis sinister.
ADF. basis ejus, et unio cum osse occipitis, ad foramen magnum ex-
currente F. F. G. foramen magnum, G. Condylæ prominentia. H.
processus tenuis, ubi foramen opticum, I. crista galli. DK. vomeris
pars posterior. LMN. processus pterygoideus, cujus N. hamulus, et
M. ala. KO. os palati, et maxillare. O. Dens molaris ultimus.

Delineavi etiam Fig. 2. Cerebri basin et praecipue medullam oblon-
gatam, quoisque scopo nostro inservire debeat.

Groningae Aº. 1765. publice in octogenarii cadavere, quod juxta longitudinem per medietatem a capite ad pelvis extrema accuratissime
diviseram, Cerebri, cerebelli, et reliquorum viscerum verum situm
demonstratus icones duxi integras, quarum unam pro parte fig. 1.
catigraphice exhibui. H. Q. a, b, g, h, i, Fig. 2. medullam oblon-
gatam e directo visam exhibui; utramque ita disposui, ut partes singu-
lae sibi respondeant.

P. Q. vero planum designat, lineæ propensionis parallelum, ad quod
radii diversi normales ducti sunt, ac si quis ex W. oculum lente depri-
mendo versus X. delineavisset omnes nervos, et eminentias &c.

Veram autem nervorum originem exhibit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
9. In Fig. 2. et 1.

1. 2. 3. &c. paria nervorum.

a. infundibulum. *b.* glandula pituitaria. *c*, *c.* eminentiae candicantes. *d*, *e.* crura oblongata cerebri. *f.* cerebellum. *g*, *b.* vero altitudo eminentiae annularis. *ii.* corpora pyramidalia; *kk.* corpora olivaria.

Eustachium juxta optices regulas delineasse, demonstro hoc modo. Intueatur aliquis architectorum more cerebri basin, dirigendo oculum versus planum P. Q., ita ut W. c. P. rectus sit; et ita progrediendo perget in X. usque. Si RS. planum est, super quod delineabitur, erit distantia eminentiae candicantis, ab annulari processu, *c*, *d*, semper aequalis. *c*. *d.* in quounque intervalllo inter W. et objectum R. S. collocetur. ita et *b*, *i.* et omnia puncta visibila inter *c* et *i.*

Ubi vero spectator oculum inferius applicat in V. posito plano TU, super quod delineatio institui debet; evidens est, ea omnia, quia radius V, c. tria puncta *c*, *d*, *e*, *g.* comprehendit, in unico punto *c*, inter T. U. apparitura.

Ponamus in Fig. 3. integrum iconis scenographiam juxta optices regulas esse ductam, quemadmodum ex lineis parallelis, *a*, *a.* *δ*, *c.* patet; Dico, tum nervos Tertii paris apparituros contiguos eminentiae annulari, in *δ.* ut et eminentias candicantes. 2º. Quintum Par non ex loco vero, sed e margine eminentiae ejusdem ortum, apparitrum. 3º. Septimum par ex olvari corpore. Et 4º. Sextum par ex unione corporum pyramidantium et olvarium.

Conferatur itaque Eustachii fig. 2. Tab. XVIII. cum nostra tertia, juxta perspectivae regulas scenographice ducta, atque adeo similes inter se comperientur, ut nullum amplius dubium super esse possit, quin juxta optices regulas ducta sit Eustachii figura. Q. E. D.

Co-

Coroll. Manifestum similiter inde est , cur origines nervis , quales non habent , tributae sint.

Eustachius non erravit , nam ita re praesentavit nervos , quemadmodum debuit : Tu vero errasti , quia videbaris tibi probe noscere , eum perspectivam , quam manifeste adhibuerat , non usurpare . Quod Martinus p. 173. etiam non attendisse videtur .

Dabo in Tertio Libro Demonstrationum Anat. Pathol. Icones basis cerebri , et veras nervorum origines , quoniam nullibi , quod scio , accurate traduntur , Willisi , enim Vieussenius , Ruyshius , Collini , Ridlejus , Le Cattus , Hallerus , verbo , quotquot consulere mihi contigit , in hac re gloriam non tulerunt .

Quamquam exemplum quod prodidi , omnino sufficere videatur , reliquias tamen tabulas percurrent , ut clarissime videoas , non modo in XVIII. Tabula , sed et aliis punctum visus suisse adhibitum .

In tab. XIX. punctum opticum manifestum est inter lumbos et thoracem , secus os coccygis supra os pubis conspicu non posset : etiam summae costae adeo horizontaliter non essent delineatae , neque partes sub maxilla sitae essent visibiles ; neque facies ea ratione depingeretur .

Notandum autem tabellas , seu bases quadrangulas , quibus imagines insistere videntur , non ab Eustachio , sed ab imperitissimo quodam adjectas esse .

Confer quae so Tab. XX. cum Tab. Tua sceleti secunda , et ex claviculis , scapulisque facile videbis , eas , quia supra horizontem sunt , adeo attolli .

In Tab. XXI. XXII. XXIII et XXIV. quidem punctum opticum non adeo conspicuum est , quia nullae cavitates exhibentur , verum ex axillis , et ossis sacri atque ani musculis , satis patet depresso esse , quam in prioribus .

In Tab. XXV. punctum illud in medium corporis esse directum, declarant pedum, axillarum et faciei picturae.

In Tab. XXVI. altius positum est, etiam in XXVIII, quod admodum evidens est ex clavicularum situ; in Tab. XXIX. dubium. Depressius autem in quatuor sequentibus: altius in XXXIV. XXXV. ruderiter in XXXVI. atque iterum depressius; ita etiam in XXXVII. et subsequente.

In quatuor capitinis iconibus inferioribus Tab. XLI, praesertim ex XIII. punctum opticum valde conspicuum est.

Tabula XLII. ordinario pictorum more facta est, in Tab. XLIII. supra lumbos dispositum fuit punctum opticum, quamquam tabella pedibus supposita id indicare non videatur: egregia vero mihi videatur in ea clavicularum positio, quemadmodum et in fig. I. Tab. XLIV.

In Tab. XLV. fere in eodem loco.

Videor itaque mihi etiam in Tabulis Eustachianis comprobasse punctum opticum, erroresque haud exiguos, qui praesertim circa nervorum origines maximi sunt momenti, quorumque apud Eustachium mentionem factam offendissemus, si, quod Tecum omnes periti exoptant, ejus commentarii ad nos pervenissent.

§. III. Non possum non, quin et id paulo uberius exponam, quod multis in casibus vulgaris pingendi modus Tuo, licet accuratissimo, anteponendus sit. Ago de iis iconibus, quae res, uti apparent, exhibent: Nam ubi quis crus, vel brachium dissectum ita delineat, ut quod conspicit reddat, aponeuroses onines exhibebit, quas in Tabulis tuis frustra quaerimus: Bicipitis, et pectoralis adumbrasti pro parte, fasciam latam femoris nullo modo, neque vastorum aponeurosin patellam superadscendentem, neque insignes eas tendinosas propagines,

nes, quae a tribus tendinibus fartnerii, gracilis, et semitendinosi ortae se jungunt cum surae densissima aponeurosi. Juxta methodum, quam secutus es, impossibile erat eas omnes exacte tradere, quamquam etiam et harum partium cognitio directe ad muscularum historiam pertinet, et medico perutilis sit.

Sternohyoideum, et sternothyroideum Tab. XI. fig. 39. et 44. ita exhibuisti, ut haud facile intelligantur, nisi quis summopere attendat, sibique imaginando repraesentare possit, os ibi esse resectum. Cur non a parte interna eorum, quemadmodum aliorum depinxisti origines? veluti Triangularis sterni etc. Idem de levatoribus ani serendum est judicium.

Illi, qui quod occurrit exacte imitantur, sed ita, ut oculus ad normam intueatur objectum, naturale quid in suis tabulis exprimunt, quod in tuis, praesertim majoribus fere omnibus, desiderari mihi videatur. In iis summi semper Anatomici perspicaciam, et ingenii acumen magis admiror, quam Artificis prae aliis praestantiam. *Wandelaarius* si pro *Vesalio* figuræ duxisset, detestabiles produxisset, si pro *Bidloo* lapide duriores; et nullus dubito, quin, si Tibi licuisset *Lairessei* arte uti, non modo quales nunc, quoad disciplinam anatomicam, accuratissimas edidisses tabulas, sed quoad pingendi artem et caelandi elegantissimas. Tecum vero omnes, qui sano utuntur judicio censemebunt, si alterutro est carendum, rerum, quae exhibentur, veritate ac perspicuitate, aut arte, qua exhibeantur, carendum potius arte.

Eustachianas tabulas ideo reliquis palmam praeripere, summo jure judicas*i*.

In Cheseldianis Tabulis ossium aliquando admirabilis est caelatura, et elegans delineatio objectorum praesertim minorum: nulla vero in

praecipuis proportio, nulla exactitudo. In pretiosis Cl. Suei Tabulis Monrœo dicatis, non modo similes defectus, sed et durities, vehementer obstant. In aliorum Tabulis, quorum nominibus parco, tanta regnat confusio, tanta obscuritas, ut, quid repraesentent, conjectura potius, quam contemplatione, consequi valeas. Singulorum tamen laudanda est industria, siquidem corporis nostri structuram, summa demum difficultate eruendam, conspicuam reddere tentarunt, eamque ob voluntatem honore suo minime fraudandos esse, existimo.

§. IV. In Demonstr. Anat. Pathol. Lib. 2. Cap. 1. pag. 4. Col. 1. animadverteram, figuram, quam musculi sphincteris ani externi dederam, cum Hist. Tua Musc. exacte convenire, cum fig. 36. Tab. Musc. XII. non item: de summa Tua in describendis corporis humani partibus solertia nullomodo dubitans, persuasusque ex optices legibus differentiam talem evenire potuisse, eam caelatori tribui: et quidem eo libentius, quoniam ne quidem suspicari poteram, Te Naturae libertatem, semel vel iterum obviam, in iis exprimere voluisse tabulis, *quae juxta monitum in Hist. operis pag. 6. col. 1. datum, musculos, quales frequenter occurunt, exhibent.* In exploratione Tab. XII. ita ejus figuram et in perinaeo evanescente caudam explanas, ac si semper. Didici igitur hac occasione, eam imaginem non omnibus, sed alicui corpori convenire. Concedo: nam mense Decembris anni praeteriti, in robusto corpore perinaei musculos iterum peruestigans, simile quid vidi.

Dimensionem, quam, ad perpendiculum inter transversas duas a perpendiculo ad angulos rectos procedentes factam, Architectorum morem vocas, neutquam convenire in superiori hujus epistolae parte, monstravimus.

In mea descriptione tantummodo caussam differentiae, quae perspicua
adeo

adeo est, probabilem reddere conatus sum: excusari tamen potest modus, quem usurasti.

Accidit etiam haud raro, ut quidam musculi, licet non semper, saepius tamen adsint, quam absint, adeo ut naturaliter adesse jure quodam dici mereantur, v. gr. portio illa musculi Iliaci, quam Winslowus *Tr. des muscles.* § 472. iliacum parvum vocari posse adnotat, et cujus iconem tamen non exhibuisti, quamquam in Hist. Musc. ejus mentionem feceris, et in omnibus fere corporibus, paucis exceptis, utriusque sexus eam invenerim.

Adnotare idem licet circa calcanei duos sinus, quibus tali caput exceptitur, quos in libro de ossibus Corp. Humani, 1726. edito §. 215. p. 194. non modo exacte describis, sed Vesalii suffragio confirmas. Duos similes Bidlous depinxit, duos Monrous *Anat. of the Bones and Nerves.* 1758. p. 295. enumerat. In Tabula vero ossium XXIX. fig. 2. 6. b. unum sinus oblongum depingi curasti, atque in Lib. de scelet. Hum. p. 303. sinus unum oblongum describis, quem tamen in aliis separari admones. In libro de ossibus C. H. p. 3. § 7. recte adnotas, illa describenda esse, quae ceterorum norma esse possint: ita etiam in Lib. de scelet. H. p. 15. § 3. rogare cogor, unus, num duo, sinus naturalissime adsint? Cheseldenus unum sinus Tab. XXIX. fig. IV. depingit. D. Ita etiam Cl. Sue in Osteol. Tab. XXV. fig. 1. B. B. Winslowus *Tr. de Os sect.* §. 201. similiter unius mentionem facit. Magnum vero numerum calcaneorum servo, in quibus crebrius duo sinus obvii sunt, quam unus.

§. V. Transeo tandem ad Annot. Acad. Lib. VI. Cap. XIII. Ubi summo adnotas jure, Te pati non posse, quod tibi viventi adscribatur, quod non modo non scripsisti, sed quod in mentem non venerat. p. 153.

Fateor, Vir Celeb^s, unumquemque optimum suorum verborum esse interpretem: gaudeo quam maxime, quod tuo suffragio confirmare placuerit, quae, ut methodus Raviana Calculosos curandi esset evidentior, proposueram.

Non ego, non Sharpius, sed omnes, qui bene de re Chirurgica meriti sunt, Morandus, Le Dranus, Foubertus, omnes uno ore confirmant, modo, quem Ravio tribuis, calculosos nulla ratione curari posse. Ita etiam Heisterus p. 965. et reliqui in Lib. meo II. citati.

Edidisti A. 1725. Ravianam methodum; Cheseldenus frustra laboravit, ut eam institueret; Morandus ipse, *Mem. de l' Acad. des Sciences*. 1731. 8°. dubitat p. 221, an quidem methodus a Te Ravio adscripta, ejus esset? Foubertus similiter non intellexit, quae de ea methodo scripsisti, secus enim nunquam de vera incidenda vesica cogitasset. Felices fuissent Chirurgi, feliores aegri, si tibi placuisset novum lumen descriptioni a Te datae accendere! Id certum est, omnes credidisse prostatam incidendam non esse, quia clarissime indicas pag. 15. *Cervicem vesicae non debere incidi*, quam tamen prostata amplectitur, sed ipsam vesicam proxime cervicem ejus etc. quod Chirurgis omnibus obscurum adeo visum fuit, ut omnino non intellexerint.

In Lectionibus tuis occasionem saepius habuisti interpretandi, quae edideras, si ita placuisset.

Chirurgi igitur semper fuissent dubii, nisi hanc methodum evidenter ob oculos posuissent, monstravissentque physice impossibilem esse.

Gaudeo id circa, mihiique gratulor, et artis Chirurgiae Cultoribus, quod ex meo impetu dubium id penitus sit sublatum: ex-

optavi etiam , Te ut explicares plenius. Faciendum itaque erat,
quod feci Te Vivo , ut perspicaciores fieremus ; faciendum erat
Te vivo , ne post obitum memoriam tuam , quae posteris medi-
cis omnibus gratissima erit , injuria afficere voluisse viderer , quod
piaculum esse existimo.

Vale , Anatomicorum Princeps ! orbemque litteratum , Studium-
que in primis Medicum industria Tua excole , et mihi fave !

E. Lancumano

a. d. xxii. Aprilis.

MDCCLXVII.

Celeb. B. S. ALBINI litterae, quas, postquam Demonstrationum Anatomico-Pathologicarum Librum Primum acceperat, ad me miserat, Belgice conscriptae, et a me, qua potui cura, latine redditae.

Wel Edele Hoog geleerde Heer.

Ik geeeve my de eere UWHG. te danken voor het aangenaame present, hebbende uytgestelt zulks te doen, op dat het nevensgaande, dat op de pars was, te gelyk zoude kunnen zenden; waar van het afdrucken langer aangeloopen is, als men gedagt had. Ik heb veel obligatie voor den onverdienden lof, den welken UWHG. my wel heeft willen geeven. Dog kan niet naalaaten myne verwondering te kennen geeeuen, dat UWEHG. my verzekert, dat de afbeeldingen van Eustachius, ende myne, volgens de gewoone wyze der Schilders, uyt een oogpuut verbeeld zyn: waar van men evenwel in de figuren van Eustachius, myns weetens, niets vind:

En wat de myne betreft, het is waar, zo men wil, dat de Scelet-

Nobilissime ac Doctissime Vir.

Gratias tibi ago pro munere, quo me honorasti, quas distuli referre, ut hunc (de sceleto Humano) librum, qui sub praelo erat, simul mittere possem, cuius impressio diutius, quam praevisum fuit, protrahebatur. Multum me tibi obstrictum censeo pro immetita laude, quam mihi impertiri voluisti. Verum non possum non meam declarare admirationem, quod adseveras, icones Eustachii et meas, Pictorum more, ex puncto optico esse ductas: cuius tamen rei nihil, quod sciam, in Eustachianis figuris reperitur:

Et quod ad meas adtinet, verum est, fateor, sceletos et confesse,

ten , en gevolgelyk ook de muscelen , die op dezelve gebragt zyn , uyt een oogpunt gemaakt zyn: dog geenzints naa der Schilderen wyze van eenen korten afstant: maar van eenen afstant van veertig voeten , die in deezen genoegzaam gelyk is aan eenen oneindigen , dat is aan der Architecten wyze , op eene oneindige kleinte naa. Ik heb deezen afstant voor de geheele beelden verkooren , om de zelve te vertoonen zoo als in het generaal gemakkelijk gezien kunnen worden. Het geene van eenen oneyndigen afstant niet kan worden ; en op dat defselve teffens zoo naa aan der architecten wyze verbeeld zoude zyn , dat de kleine differentie nergens eenigsints hindere ; en wel te minder , omdat evenwel meest alle deelen in een scelet , en in een met muscelen omhangen , min of meer verkorten , wanneer al precies naa der architecten wyzen gemeeten , en verbeeld worden.

En indien ik verzekerd had ,

sequenter etiam musculos , qui super eos delineati sunt , ex puncto optico esse depictos , verum non Pictorum more , ex parva distantia : sed ex distantia quadraginta pedum , quae in hoc casu sere aequalis est infinitae , id est , secundum architectorum methodum , ad infinite parvam differentiam. Hanc pro integris imaginibus distantiam elegi , ut eas repraesentarem , quemadmodum in universum facilius conspici possent , quod ex infinita distantia fieri nullo modo potest. Et ut simul methodus , qua delinearentur , quam proxime cum ea architectorum coinciderit , ita , ut parva inde nata differentia nulla in parte , aliquo obstatet modo ; et quidem eo minus , quia omnes sere partes in sceleto , et in sceleto appensis muscularis instructo , plus vel minus abbreviantur. Licet accuratissime architectorum more mensurentur , et depingantur.

Immo , si adseverasssem , icones
meas

dat naa der architecten gemaakt waaren, zoo zoude ik het iemand te raaden, en te toonen konnen gegeven, dat niet zoo gemaakt zouden zyn; al had hy daar by de origineele levensgrote tekeningen, en de beenderen, waar naa dezelve gemaakt zyn.

Immers soude hem het regt op en neder, of min of meer schuys staan der deelen in onseekerheid houden.

Door deezen afstant verkorten de deelen zoo weinig meer, als door eenen oneyndigen, dat het ter saake niet doet, immers niet, dat het voor eenen erreur gehouden kan worden.

En ik heb 'er gebruyk van gemaakt niet afhangende van den Tekenaar, maar deselve heeft, na gemeen overleg myne verkiesing sliptelyk uitgevoert.

Alle myne andere afbeeldingen syn wel seeker naa der Architecten wyse gemeeten, en verbeeld. Synde sulks de eerste grondslag geweest, die ongelooflyke en

meas architectorum methodo suis exaratas, cuivis divinandum ostendendumque committere ausim, non ita suis factas, etiam si ad manus haberet icones magnitudinis naturalis, et ossa, ad quae factae sunt.

Erecta nimirum partium positio, seu plus vel minus obliqua, eum suspensum teneret.

Hac distantia partes non multo magis abbreviantur, quam infinita, ita ut ad rem non faciat, faltem non, ut pro errore haberi possit.

Atque hac methodo usus sum, nulla ratione dependens a Pictore, sed, in re communi consilio librata, meam sententiam accurate fecutus est.

Omnis meae reliquae icones quam certissime architectorum methodo mensuratae, et delineatae sunt: idque primum fuit fundamentum, quod incredibilem laborem

rem

aanhoudende moeyte, en oplettenheid gekost heest ; blykende die wyse ook klaar uyt de volheid der verbeeldē deelen, als by voorbeeld van de eerste figuur van het bekeneel.

UWEDHG. sal het my , hoop ik , te goede houden , dat ik myne afbeeldingen niet gaarne by myn leeven , en als met stilzwijgende toestemming voor anders gemaakt soude laten passeren, als waarlyk syn.

Ik heb niet kunnen affyn in de voorrede van het nevensgaande boek eenvoudig te verhaalen hoe myne figuren gemaakt syn , en UWHGL. sal best sien hoe syne versekerung te remedieren , synde het niet te denken , dat UWHGL. eene *onwaarheid* op syne naam soude willen laaten blyven. Ik neem te veel deel in UWEDHGL. prosperiteit , geevende my de eere met alle hoogagtig te zyn ,

*Wel Edele Hoog geleerde Heer ,
UWEHGL. ootmoedige Dienaar
B. S. ALBINUS.
Leyden den 17 December 1762.*

rem , et attentionem requisivit , quemadmodum evidenter ex plenitudine partium expressarum, patet , exempli gr. ex prima cranii figura.

In bonam partem spero accipies , quod non lubenter meas icones , dum vivo , et tacito consensu , alia ratione factas , quam revera sunt , haberi velim.

Non potui igitur non , in praefatione hujus libri praeterire enarrationem methodi , qua meae ico-nes factae sunt; atque tu ipse inde intelliges facile , qua ratione tuam emendabis assertionem , quia vix credibile est , te *Mendacium* tuo nomine editum diutius ferre posse. Nimium sane mihi tua prosperitas cordi est , qui mihi honori duco , quod omni reverentia sim ,

*Nobilissime et Doctissime Vir,
Tibi Devotissimus servus
B. S. ALBINUS.*

Leidae a. d. 17. Dec. 1762.

D

Tulit Celeb. B. S. ALBINUS a me hoc responsum , et Demonstrationum Anat. Path. alterum librum.

Weledele Hoog Geleerde Heer

Het geschenk , 't welk UWED. my, volgens de dagtekening, den 17 Dec. 1762. hebt gelieven toe te schikken , is my eerst geworden den 8 April 1763. Ik zoude niet naagelaaten hebben UWEDL. onmiddelyk voor het zelve te bedanken , indien niet myn Boekdrukker dit tweede stuk tot nu toe opgehouden hadde , schoon alles hem in het net geschreeven gezonden was in Nov. 1762. in hoope dat UWE. dit tweede stuk als een teken van myne hooge achtung zal aanneemen.

Het sinerte my te zien uyt UWED. brief , dat UWE. myne opmerking over de wyze van tekenen zoo euvel opnam. Ik verklaare nimmer voorneemens geweest te zyn iemand , hoe genaamd , te kwetzen , en veel minder eenen man van UWE. uytmutende verdiensten : Het behoort evenwel my vry te staan waarheden te opperen , wanneer

Nobilissime ac Celeberrime Vir!

Munus , quod 17 Dec. 1762. mittere placuit , die demum 8 April 1763. ad me venit , officio secus non desuisset , summas tibi protinus gratias agendi , nisi Typographus , in altero Dem. Anat. Path. libro edendo , ad hunc usque diem moras injecisset , quamquam jam mense Nov. 1762. eum nitide conscriptum tradidisset. Rogo , ut hunc alterum librum in summae meae venerationis tesseram accipias.

Summo cum dolore ex litteris tuis percipiebam , te meam observationem , circa delineandi methodos , tam aegre tulisse : Testor , me ea neminem laedere voluisse , et multo minus Te , Virum Egregium : mihi tamen solutum esse debet , veritates proferre , ubi earum interest , aut elucidationes inde profluere queant.

er aangelegen is, of opheldering uyt kan voortvloejen.

Ik erkenne gaarne, nimmer figuuren gezien te hebben, welke by die van UWED. te vergelyken zyn, ik heb 'er roem van gemaakt dit honderd, jaa duyzende, maalen openlyk te verklaaren; ik doe het nog, en zal het blyven doen, zoo lange ik my verwonderen mag over UWED. uytgewrogte werken.

Ik houde de afbeelding van het Diaphragma in UWE. plaaten voor het grootste meesterstuk uwer figuuren; daar in heeft UWE. myns oordeels UWE. vernuft, doorzigt, en het verhevene van UWE. kennis boven allen anderen getoont.

Myn pryzen zal, nog kan UWE. verdiensten, en roem niet vergrooten, zoo min als myne opmerking dezelve kan verkleinen; alleen oordeele ik zoo scherp eenen brief, als die van UWE. is, niet verdiend te hebben, en daar over beklaage ik my zeer.

Id lubenter confiteor me nunquam ullius icones vidisse, quae ante tuas ostensae oculos teneant: Id centies, immo millies, in publicis meis lectionibus palam facere mihi gloriosum putavi, id quotidie facio, et nunquam non faciam, quam diu elaboratissimos tuos libros admirari liceat.

Diaphragmatis figuræ in Tabulis tuis reliquarum magistras esse duco, in iis Tu, meo judicio, industriam, ingenii acumen, et scientiae præ aliis sublimitatem explicasti.

Laudes quas tibi do, fateor, merita tua, et celebritatem amplificare haud possunt, quemadmodum haec mea animadversio iis nihil unquam poterit detrahere, verum tam acerbas literas, quales tuæ, non meruisse arbitror, et de iis valde doleo.

Te meer, dewyl ik nimmer tot de zwakheid zal vervallen met twistchriften anderen te verveelen.

Het remedieren van myne verzekering, zoo als UWE. het noemt, koomt my voor geheel onnooidig te zyn, omdat ik wesenlyke waarheden, die gegrond, en aan te toonen zyn, gezegd hebbe: van dewelke ik nog overtuigd ben, en welke lieden, in de tekenkonst ervaaren, zien, en beoordeelen kunnen. Het vermindert ook UWE. roem niet, wanneer ik zegge, dat UWE. groote figuuren een oogpunt hebben, 't welk UWED. zelve toestèmt, en waarlyk zoo groot een bestek konde niet anders aangelegd worden. Die veranderingen nu, die daar uyt voortvloejen, konde UWED. niet vermeiden: in de kleine figuuren over de beenderen der kinderen enz. koomt deeze opmerking niet te passe.

In de Tafelen van Eustachius, te weeten die, welke het geheele lighaam verbeelden, is het oog-

Eo magis, quia nunquam tam abjecti ero ingenii, ut alios per lites toedio afficiam.

Correctio meae observationis, quemadmodum tibi eam vocare placet, mihi videtur prorsus superflua, quia veritates protuli perspicuas, quae firmis innituntur fundamentis, quae probari possunt, quarum etiam hodie summam persuasionem foveo, et quas Viri in arte Apellea periti contemplari, et dijudicare valent. Gloriam tuam etiam nulla ratione obscuro, ubi Tabulas tuas majores punctum habere opticum pronuntio. Tu ipse id concedis: et Schema tam late extensum vix aliter excuti potuit. In potestate etiam non erat, tuas mutationes inde oriundas prævenire: iconibus ossium foetus etc. ut pote valde parvis, haec animadversio neutiquam applicari potest.

In Eustachianis Tabulis, iis scilicet, quae integrum Corporis imaginem exhibent, punctum opticum

meo

punt myns bedunkens zeer kenne-
lyk : Ik heb die bedoeld , en
meene daar door den onsterfely-
ken roem van dien Grooten man
niet in het geringste beledigt te
hebben.

Vergun my de eere te hebben ,
van my in UWED. Hoog Gel.
bescherminge te beveelen , en my
met eerbied te moogen noemen ,

Wel Edele Hoog Geleerde Heer ,

*UWEDHGel. Zeer Geboor-
zaamen dienaar
PETRUS CAMPER.*

Groningen den 14 Juny
1764.

meo judicio valde conspicuum est ;
eas collimavi , et mea animad-
versione , immortalem hujus eximii
viri gloriam , ne minimum me lae-
sisse arbitror .

Concedas mihi obsecro , ut tuo
me commendem praesidio , meque
summa cum veneratione tester ,



Nobilissime et Celeberrime Vir ,

*Tui Observantissimum
servum
PETRUM CAMPER.*

*Groningae a. d. 14 Junii
1764.*

C O R R I G E N D A.

Pag. 3. §. 1. lin. 1. obiter me Tuas. Lege, obiter Tuas
7. lin. 2. Rahinocerotum. — Rhinocerotum
ib. lin. 8. Tabula suas. — Tabulas
ib. lin. 17. adsevera se. — adseverasse



COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE
QM
21
C15

RARE BOOKS DEPARTMENT

